

per legitimam summi Pontificis dispensationem tolli posse; nam summus Pontifex a lege ecclesiastica dispensare potest: at, lege sublata, tollitur objectum simoniæ juris ecclesiastici. Verum malitia simoniæ juris naturalis et divini nulla dispensatione aut concessione tolli potest, quia in natura rerum fundatur. Nec in ea datur parvitas materiæ; quantumvis enim parva sit res spiritualis quæ venditur aut emitur, gravis injuria Deo inferitur.

Vix etiam concipi potest quod in simonia juris ecclesiastici dari possit materiæ parvitas. Attamen quidam affirmant ut probabile, et rationem afferunt quod in ea simonia non accipiatur temporale tanquam rei spiritualis pretium, sed contra Ecclesiæ prohibitionem: peccatum igitur est directe contra Ecclesiæ præceptum, in quo dari potest materiæ parvitas.

2° *De variis modis quibus simonia juris naturalis seu divini committi potest.*

Est simonia juris divini, naturalis et positivi in sequentibus casibus:

1° Dare vel accipere pecuniam aut quid pretio æstimabile tanquam pretium sacramentorum, sacramentalium, sacrarum reliquiarum, pro quavis potestate spirituali, ordinis vel jurisdictionis, pro aliquo ejus actu, pro usu gratiarum gratis datarum, v. g., pro applicanda indulgentia crucifixis, coronis deprecatoriis, pro precibus, divinis officiis, missa celebranda, pro concione pronuntianda et etiam præparanda, pro catechismo aliave functione spirituali: nam hæc omnia ad finem supernaturalem ordinantur: pretio igitur æstimari non possunt quin vilescent et gravis injuria Deo inferatur. Contra vero pretium statuere, dare, aut accipere pro docenda theologia, explicanda Scriptura sacra, non est simonia, quia hæc ad finem supernaturalem non primario ordinantur.

2° Aliquid pretio æstimabile dare aut accipere pro beneficio ecclesiastico, ut canonicatu vel parochi titulo; vel pro officio spirituali cui annexum est temporale, v. g., pro

officio vicarii generalis, capellani in collegio vel in monasterio, etc.; nam beneficia et illa temporalia ad obeunda munia ecclesiastica sunt constituta, ut ait *Bonifacius VIII*, in Sexto Decret. tit. 4, c. ultimo, et conc. Trid., sess. 21, de Reform. c. 3: ergo is solus habet jus ad illa percipienda, cui committitur potestas officium spirituale exercendi. Unde episcopus tale beneficium vel officium alteri determinato conferre non tenetur; verum si conferat, gratis conferre obligatur. Si objiciatur calicem consecratum vendi posse ratione materiæ, respondetur admitti non posse paritatem, quia calix suum habet valorem independentem a consecratione et ante consecrationem, beneficium vero aliudve temporale emolumentum pro officio spirituali constitutum, ab ipso spirituali officio separari non potest. Unde facile concipitur quod in venditione calicis solum temporale sit objectum contractus; non autem videtur quomodo, vendito beneficio vel jure ad temporale emolumentum, non ipsum venderetur spirituale. Ergo.

3° Quælibet transactio in spiritualibus rebus vel in beneficiis pro aliquo temporali pretio facta, v. g., pensio alimentaria, quædam munera, obsequia, oblectamenta stipulata et vi conventionis debita, aut etiam quæ collationis vel acceptationis beneficii aut spiritualis officii vel objecti fuissent motiva. Patet ex dictis; tunc enim datur temporale pro spirituali.

4° Aliquid dare vel exigere tanquam pretium admissionis unius personæ ad ingressum monasterii, ad induendum novitiatum habitum, ad emittenda vota; quia hæc sunt spiritualia, quæ pro temporali commutarentur. Nec aliquid exigere, dare aut accipere liceret titulo sustentationis, si monasterium sufficientia possideret bona; nam, ex mente fundatorum et Ecclesiæ constitutione, jus ex bonis monasterii vivendi annexum est professioni religiosæ, sicut jus percipiendi fructus beneficii annexum est officio spirituali.

5° Post collatum spirituale aut spirituali annexum, aliquid, sine antecedente pacto, exigere, dare aut accipere, ut pretium, mercedem vel compensationem; nam ipso

facto spirituale pretio temporali æstimatur. Unde SS. Patres, et jus canonicum, Decretal. l. 4, tit. 3, cap. 39, actionem Giezi pecuniam pro curatione lepræ miraculose facta petentis arguunt simoniæ.

6º Aliquid dare vel accipere pro locatione rei sacræ; nam res sacra sic locata, vel ad usum sacrum adhiberetur, et tunc daretur spirituale pro temporali: vel ad usum profanum, et ejus sanctitas violaretur.

7º Aliquid exigere, dare aut accipere pro labore ad exercendam functionem sacram necessario et intrinseco, v. g., pro tempore requisito, pro fatigatione subeunda in cantando, concionando, ad ægrotum eundo ut sacramenta ei conferantur, etc.; nam hujusmodi labor vendi non potest, quin res spiritualis, cui necessario annectitur, vendi censeatur. Idem dicendum est de actionibus ad functionem sacram necessario prærequisitis, puta de præparatione et studio ad concionem.

8º Dare vel accipere pretium pro absolutione a peccatis vel a censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, proclamatione bannorum, irregularitate, etc.; reipsa enim daretur temporale pro spirituali. Item omissio spiritualis officii pro temporali dato vel promisso, est simoniaca, quia tunc judicatur esse quidam potestatis spiritualis usus ob pretium determinatus. Vide *S. Ligorium*, l. 3, n. 97.

9º Beneficium vel officium ecclesiasticum dare vel procurare consanguineo, affini vel amico, propter carnalem vel naturalem affectionem, peccatum quidem esset, propter recti ordinis inversionem; sed non foret simonia, quia nihil temporale pro spirituali traditur nec promittitur: at si conferens vel procurans speraret fore ut inde fieret honoratior, potentior, opulentior, vel ut familia ejus evaderet beator, etc., simonia esset, siquidem aliquid pretio æstinabile pro spirituali acquireretur.

10º Temporale pro spirituali promittere sine animo præstandi est gravis deceptio, et ad simoniam mentalem alterius cooperatio. Si quis officium spirituale pro temporali promisso intendat obtinere, est simonia saltem mentalis.

Item suscipere Ordines principaliter ob emolumenta temporalia quæ sperantur.

4º *De modis quibus simonia juris ecclesiastici committitur.*

Sæpe in eodem actu invenitur simonia juris divini et simonia juris humani, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ prohibet actus jure divino naturali et positivo jam prohibitos. In sequentibus autem casibus est simonia tantum juris humani:

1º Beneficia commutare sine auctoritate prælati, nullo interveniente pretio: si interveniret pretium, esset simonia juris divini, ut supra diximus; non interveniente pretio, non datur spirituale pro temporali, ac proinde non est simonia, nisi propter Ecclesiæ prohibitionem in Decretal. l. 3, tit. 10, cap. 5, contentam. Unde, ex eodem capite, accedente episcopi consensu, permutatio fieri potest.

2º Beneficia resignare cum pacto ut resignatarius suum beneficium tertio cedat, vel cum confidentia accessus aut regressus, quæ in Gallia locum nunc habere non possunt. Concil. Trid., sess. 24, de Reform. cap. 7.

3º Aliquid dare vel accipere, non pro ipso examine, quod esset simonia juris divini, sed occasione examinis ad curam pastoralem, v. g., quando parochi nominantur in concursu, ex concil. Trid., sess. 24, de Reform., cap. 18.

4º Aliquid accipere, etiam sponte oblatum, occasione collationis Ordinum vel litterarum ordinationis, juxta dispositionem concil. Trid., sess. 21, de Reform., cap. 1. In quibusdam locis tamen aliquid exiguum accipi solet, ab episcopi secretario, occasione litterarum ordinationis. Dicimus occasione collationis Ordinum vel litterarum ordinationis, si quod enim pro ipsis Ordinibus vel litteris daretur aut acciperetur, simonia esset juris divini, cum spirituale pro temporali concederetur.

5º Vendere vel emere officium procuratoris vel œconomi alicujus ecclesiæ, sub quo nomine *Fagnanus* intelligit etiam sacristam, ex Decreto, 2ª part., causa 1, q. 3, can. 8.

6^o Venditio sancti chrismatis, etiam secundum suam speciem physicam spectati, ut in Decreto, 2^a part. causa 1, q. 1, can. 102, statuitur. Usus tamen receptus videtur ut ecclesia cathedralis aliquid ab ecclesiis particularibus accipiat pro compensandis sumptibus quos in emenda materia consecranda fecit.

7^o Venditio coronarum vulgo sanctæ Brigittæ benedictarum, ex bulla Clementis XI, diei 22 septembris 1714, et decreto Cong. Indulg. a Bened. XIV die 9 februarii 1743 confirmato. Æstimamus tamen eum qui coronas pro quibusdam personis emisset, easque sacerdoti approbato benedicendas præsentasset, restitutionem pretii à se soluti recipere posse, quia non esset præcise eas vendere.

4^o De causis seu titulis a simonia excusantibus.

Quamvis nunquam liceat, nequidem per summi Pontificis vel concilii generalis dispensationem, aliquid temporale pro spirituali dare aut accipere, fieri tamen potest ut quidquam temporale occasione spiritualis licite accipiatur, videlicet ex aliis titulis simoniæ extrinsecis.

1^o Ex pura liberalitate; si quis enim post spirituale concessum aliquid ex grato animo præstet, sine pacto antecedente explicito vel implicito, nihil exspectans in posterum, dici non potest spirituale datum fuisse pro temporali: ergo nulla est simonia, nisi forsitan specialis intercedat prohibitio Ecclesiæ, ut in casibus supra relatis. Hinc munera a parentibus præstita parochi aut vicario qui filios eorum audivit et ad primam communionem præparavit, a sponsis post matrimonium contractum, a patrinis et matrinis post baptismum collatum, labe simoniæ non sunt infecta. Caveant tamen clerici ne spe vel intuitu hujusmodi remunerationis ad spirituale facilius concedendum inclinentur, quia tunc esset simonia saltem mentalis.

2^o Ex titulo sustentationis; cum enim ministri Ecclesiæ non teneantur propriis stipendiis militare, quia dignus est operarius cibo suo, Matth. x, 10, quicumque spiritualia ministrant jus habent obtinendi a fidelibus unde congruen-

ter vivant, etiamsi divites essent. Eo titulo beneficiarius redditus beneficii sui percipit, parochus jura matrimonii et exsequiarum, sacerdos stipendia pro missis celebrandis vel celebratis, etc. Hæc stipendia proprie vocari non possunt merces, quia nullo modo donantur tanquam pretium rei spiritualis, sed solo titulo sustentationis. *S. Th. docet*, 2 2, q. 100, art. 3, spiritualia quæ sunt exhibenda non esse neganda iis qui stipendia consueta solvere nequeunt; et tamen iis ad illorum petitionem præstitis, stipendia ut stricte debita exigi posse a valentibus solvere: ratio est, quia sustentatio debetur ex justitia ministris Ecclesiæ.

At pluries inculcant sacri canones ut summopere vitetur quidquid speciem habet non solum venditionis, sed et exactionis. *Suarez*, de Sim., cap. 48, n. 11.

Plus a divitibus exigitur pro exsequiis quam ab aliis, quia justum est divites plus ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ quam alios contribuere, et quia majores volunt solemnitates; quantitas autem pro diversorum generum personis exigenda a superioribus fuit taxata, vel usu determinata: si quid ultra taxam statuto vel usu determinatam exigeretur, a peccato simoniæ excusari non posset, quia etsi diceret se non exigere tanquam pretium rei sacræ, saltem iret contra legem quam Ecclesia, intuitu religionis et ex horrore simoniæ, statuit. Item qui in obeundis functionibus sacris stipendia principaliter intenderet, simoniæ mentalis reus esset: sic *S. Th.*, Quodlib., 3 q., art. 16. Excusaretur vero qui, Deum tanquam finem principalem sibi proponens, stipendium inde proventurum tamen respiceret.

Eo sensu excusari possent pauperes qui petunt et accipiunt pecuniam pro quibusdam recitandis orationibus.

Recte observat *Dens*, t. 4, non inquietandos esse simplices qui, probos homines imitantes, aliquid temporale pro spirituali accipiunt, quamvis ob ignorantiam legitimos discernere non valeant titulos. Sic cantores, sacristæ et parvuli missæ servientes, aliquid tuta conscientia percipiunt, licet explicare nequeant qua ratione id legitime faciant.

Qui promissionibus vel præmiis pueros allicit ad catechismum et confessionem, non reputandus est simoniacus, quia temporale non dat, ut patet, tanquam spiritualis pretium, siquidem ipse nihil recipit.

A simonia excusatur parochus qui pinguiorem parochiam desiderat vel elegit, consentiente episcopo, ut amplio-rem habeat sustentationem pro se et pauperibus, et melius evangelizet; quia reipsa non fit commutatio temporalis pro spirituali. Non tamen in hoc laudandus est, at certe vituperandus, si lautio-rem vitam vel fortunæ suæ aut familiæ augmentum quærat; imo a simonia mentali sæpe excusari non potest. Hoc sedulo attendat.

3º *Ex labore extraordinario*; nihil quidem exigi, dari aut accipi potest pro labore functioni sacræ intrinseco, ut diximus; sed labor extraordinarius, v. g., longum iter faciendum ad concionandum, ad celebrandum missam non debetur: communiter docent auctores aliquid pro illo exigi posse, quia nullo modo spirituale emi aut vendi censetur. Similiter aliquid exigere licet pro obligatione missam determinato tempore vel loco dicendi, longa officia cantandi, per tempus extraordinarium concionandi, etc., non vero pro missa parochiali hora fixa celebranda, pro onere sacramenta ad infirmum in extrema parochiæ parte manentem deferendi; quia hæc officio pastorali sunt intrinseca.

Quando stipendium pro labore extraordinario taxatur, ut in diœcesi nostra pro missa in ecclesia vel in capella distante quarta vel media parte leucæ, vel leuca integra (*Tarif, art. 17*), nihil supra exigi potest: secus, justam compensationem stipulari licet.

Item qui ad obtinendum alicui parochatum, vel aliud beneficium, ut episcopatum, canonicatum, damnus passus est in itinere faciendo, in propriis negotiis neglectis, in fatigatione subeunda, etc., legitimam horum compensationem exigere et percipere potest, etiamsi non obtinuerit successum; hæc quippe a spirituali titulo sunt independentia.

4º *Ex legitima consuetudine*, quæ scilicet ex pietate et

liberalitate populorum orta est, et a superioribus ecclesiasticis saltem tacite approbatur: quæ enim sic dantur, pretium rei spiritualis non æstimantur, sed oblationes titulo gratitudinis vel sustentationis. Vide quæ supra diximus de oblationibus.

Sic ex consuetudine receptum est ut monialium cœnobia numerarias exigant dotes a puellis vitam cœnobiticam amplecti volentibus, non præcise pro ingressu monasterii aut admissione ad professionem, sed pro victu personæ in monasterio permansuræ, ut ait *S. Th.*, 2 2, q. 100, art. 3, ad 4. Sacra Congreg. concilii pronuntiavit, die 18 sep. 1683 et 14 aprilis 1725, hujusmodi pensationem, quamvis plerique doctores eam improbaverint, a simonia immunem esse. Sic, contra *Van-Espen* aliosque rigidiores, expresse *Bened. XIV.*, de Synodo diœces., l. 11, cap. 6, ubi, n. 7, fortiter condemnat *prodigas expensus et profanos apparatus fieri solitos dum puellæ vel ingrediuntur in monasterium, vel professionem emittunt*. Docet insuper illustris Pontifex, cum *Suarez* et *Thomassin*, aliquid stipulari, dare, vel accipere pro ipso ingressu in religionem aut pro religiosa professione, esse peccatum simoniæ juris divini, quod igitur nulla dispensatione tolli potest; verum aliquid exigere pro onere quod monasterium assumit personam per totam vitam ejus sustentandi, non prohiberi nisi jure ecclesiastico, cujus initium fuit in synodo Nicæna II, anno 787, idque propter simoniæ periculum: porro quod est solius juris ecclesiastici, emolliri et mutari potest, sive per novam legem, sive per consuetudinem legitime præscriptam, sive per dispensationem.

5º *Ex redemptione injustæ vexationis*; quando enim quis injuste vexatus in spiritualibus jam adeptis, aliquid temporale promittit aut tradit ad tollendam hanc vexationem, spirituale pro temporali non emit, sed libertatem spiritualibus vacandi. Unde, v. g., si magistratus civilis alicujus pagi (*mairie*) parochum ab episcopo nominatum non vult accipere, nec tolerare, episcopus, parochus aut fideles aliquid pretio æstimabile ei tribuere possunt, ut a vexatione cesset: is quidem gravissime peccabit et ad res-

titutionem tenebitur, quia nullum habet titulum ad percipiendum; sed tradentes a simoniæ peccato erunt immunes.

Sacerdos ad titulum ecclesiasticum nominatus, pecuniam aut rem pretio æstimabilem dare non posset, ut consensum Præfecti vel Ministri obtineret, quia tunc daretur temporale pro spirituali; secus vero si daret ad impediendam aut tollendam calumniam, quia tunc solum removerentur injusta obstacula.

Si vero injusta vexatio consisteret in negando spirituale, v. g., si sacerdos Baptismum, Viaticum aut Extremam-Uctionem administrare nollet, nisi pecunia sibi soluta, eam redimere non liceret, quia esset participatio in ipsa re criminosa, et potius sine Baptismo moriendum esset, juxta plures. At multi alii et communiter, ait *S. Ligorius*, l. 3, n. 103, contendunt hoc licitum fore quia non esset emere sacramenta, sed alterius sacrilegium ex justa causa permittere, idque quoties gravis adesset causa sacramentum suscipiendi.

6° *Ex summi Pontificis dispositione*: sic resignatio beneficii, v. g., pastoratus vel canonicatus, cum reservatione pensionis, ex natura sua est simonia: si autem summus Pontifex, ut supremus totius Ecclesiæ administrator, hanc dispositionem approbaverit, cessat simonia, quia deest ejus materia; pensio enim non percipitur vi contractus, qui fuisset simoniacus, sed vi concessionis a legitima potestate fluentis. Non ideo tamen summus Pontifex in jure divino dispensat, sed materiam sibi subjectam aliter disponit, et tunc simonia non existit ubi alias extitisset.

Hæc pensionis reservatio etiam in præsentem rerum ordine non pendet ab episcopo, sed pontifici Romano reservatur: talis est antiqua Ecclesiæ disciplina, apud nos sicut alibi recepta, ut testatur *d'Héricourt*, 2 part., cap. 16, n. 1 et seq. Sic, ex ejusdem summi Pontificis dispositione, aliquid percipi potest titulo eleemosynæ, vel sustentationis summi Pontificatus sub aliquo respectu, ob dispensationes super impedimentis matrimonii, vel ob commutationem vo-

torum. « Conceditur etiam episcopus in talibus dispensationibus percipere aliquid eleemosynis distribuendum » (modo ipsis vel suis nihil proveniat) per modum pœnæ, » non autem per modum sustentationis. » Sunt verba *S. Ligorii*, l. 3, n. 96.

Nota. Mutare spirituale pro spirituali, v. g., missas pro missis, preces pro precibus, reliquias pro reliquiis, non est simonia, nec etiam objecta benedicta pro aliis objectis benedictis, v. g., calicem pro calice, casulam pro casula; quia in his contractibus spirituale pretio temporali non æstimatur, et nulla intercedit Ecclesiæ prohibitio.

4° *De pœnis in simoniacos decretis.*

1° Certum est nullam pœnam juris per simoniam mentalem incurri; nam apud omnes receptum est culpas mere internas legibus Ecclesiæ non subjacere, aut saltem ab Ecclesia non puniri, et in *Decretal*, l. 3, tit. cap. ultimo, ubi agitur de resignationibus *spiritualium et temporalium quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur*, legitur: « In quo casu delinquentibus sufficit per solam penitentiam suo satisfacere Creatori. »

2° Nulla pariter incurritur pœna ecclesiastica per simoniam mere conventionalem, seu effectu non secuto, quia capita juris et præsertim caput 2 tituli de Simonia, in *Extrav. com.*, l. 5, loquuntur de simonia commissa: non est autem simpliciter commissa, dum sola existit pactio; nec, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, dum traditio fuit tantum ex una parte, quia externum peccatum est incompletum, et, ex regula 15, *Odia restringi convenit*, judicandum est illud a pœnis contra simoniam decretis esse immune. Ita *Lessius*, *Suarez*, *Layman*, *Sylvius*, *Cabassut*, *Antoine*, *Collet*, *S. Ligorius*, n° 106, etc.

Attamen si, tradita re spirituali, aliqua saltem pars temporalis promissi solveretur, simonia, juxta omnes, ex utraque parte realis esset, ac proinde pœnis obnoxia.

Aliud est de simonia *confidentiali*, quæ ex bullis Pii IV

et S. Pii V completa censetur et pœnis subjacet statim ac beneficium datum fuerit et acceptum, licet accipiens pro-missionem suam implere non cœperit.

3° Sola simonia externa et completa in ordine vel in beneficio nunc pœnis ecclesiasticis subjacet : nam Paulus II, in citato capite 2 Extravag. omnes pœnas a prædecessoribus suis contra simoniacos latas renovans et confirmans, loquitur tantum de simonia in ordine et beneficio ecclesiastico commissa. In venditione igitur aliarum rerum, nempe sacramentorum, sacramentalium, jurisdictionis spiritualis, pensionis, etc., peccatur quidem, sed nulla incurritur pœna. *Est communis sententia.*

4° Attamen in cap. 1 ejusdem Extravag., Urbanus V graves decernit pœnas in membra monasteriorum et capitulorum, quæ a personis eorum religionem ingredi volentibus, « quoscumque pastus, prandia, cœnas, pecunias, » jocalia aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, di- » recte vel indirecte petere vel exigere quoquo modo » præsumant. » Verum hæc simoniæ species raro nunc contingere potest, præsertim in iis quæ ad moniales attinent, ut patet ex supra dictis, p. 243.

5° Pœnæ autem latæ adversus simoniacos in beneficiis, quo nomine intelliguntur etiam officia ecclesiastica in- movibilia, sunt : 1° excommunicatio summo Pontifici reservata etiam in Galliis ; 2° nullitas electionis, præsentationis et institutionis : unde sic promotus et institutus non facit fructus suos ; idque etiamsi pecunia a tertia persona data fuerit, illo prorsus ignorante, Decretal. l. 5, tit. 3, cap. 27 ; 3° inhabilitas ad idem beneficium legitime possidendum etiam cum dispensatione episcopi, ibid., cap. 26 ; non vero ad retinenda beneficia jam obtenta, neque etiam, saltem apud nos, ad alia acquirenda, quia tenent auctores nostri bullam S. Pii V id prohibentem in Galliis non fuisse receptam, aut saltem inhabilitatem in hoc casu a iudice pronuntiandam esse.

6° Simonia confidentiæ completa inducit 1° excommuni- cationem Papæ reservatam ; 2° nullitatem collationis vel resignationis in qua fuit commissa, et inhabilitatem ad

idem beneficium vel officium postea obtinendum ; 3° pri- vationem omnium beneficiorum et pensionum ante obten- torum, post tamen sententiam judicis. Sic Pius IV, bulla 85 et S. Pius V, bulla etiam 85 ; *d'Héricourt*, F. cap. 20, n. 26, 27 et 28 ; *Lessius*, *Suarez*, *Layman*, *Busenbaum*, et *S. Ligorius* qui notat, n. 112, per beneficia et officia in- telligi non debere vicarias amovibiles ad nutum, nec pen- siones, nec capellanas non collativas, nec officia cujus- cumque jurisdictionem spiritualem ad tempus habentis, quia hæc non sunt proprie officia ecclesiastica, et ideo, licet ea vendere grave sit peccatum simoniæ, non tamen incur- runtur pœnæ, ut communissime dicunt auctores.

Excommunicatio de qua in his num. 5° et 6° agitur, tum a dante et accipiente, tum a mediatoribus et procura- toribus incurritur. In Galliis autem non est reservata, nisi simonia sit publica.

7° Pœnæ simoniæ in ordinatione sunt : 1° excommuni- catio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt tum or- dinans tum ordinatus, ex cap. 2 Extrav. comm. de Simon., quod multi ad ipsam tonsuram extendunt ; 2° sic ordinatus ab omnibus Ordinibus susceptis manet suspensus, ex eo- dem cap. et communi interpretatione : episcopus sic ordi- nans a collatione Ordinum suspenditur ad triennium ; ex Decretal. l. 5, tit. 3, cap. 45. Plures aliæ sunt pœnæ in const. Sixti V, *Sanctum et salutare*, sed illa constitutio apud nos non agnoscitur.

5° *De obligatione restituendi ex simonia nascente.*

1° Cum, ex multis textibus juris, præsertim ex Extrav. pluries citata et ex concil. Constant., sess. 43, constet be- neficii collationem per actum simoniæ factam esse nullam, sequitur clericos qui illud sic obtinuerunt, totum restituere teneri, et titulum et fructus jam perceptos : titulum statim pure debent resignare et fructus perceptos restituere, juxta regulas in Tractatu *de Restitutione* traditas pro possessore bonæ, malæ vel dubiæ fidei. Restitutio autem faciendâ est Ecclesiæ in qua situm est beneficium, vel pauperibus loci,

vel personæ cui de jure cedunt fructus beneficii vacantis, idque probabilius ante sententiam judicis. Defectu ejus qui fructus vi simoniæ percepit, ad restitutionem tenentur mediatores et procuratores. Ita *Antoine, Collet, Billuart, S. Ligorius, etc.*

Qui autem per triennium beneficium simoniace adeptum cum bona fide possedit, illud cum fructibus legitime servare potest.

2° Simonia mentalis onus restituendi non inducit, neque jure ecclesiastico, ut patet ex capite ultimo, tit. 3, l. 5 Decretal., superius citato, neque jure naturali, cum nulla de facto existat injustitia.

Res spirituales a beneficiis distinctæ, ut agnus Dei, olea sancta, reliquiæ, etc., si restitui possint et pretium pro eis non sit solum, danti restituendæ sunt; deest enim nec licite impleri potest conditio sub qua datæ sunt: soluto autem pretio, retineri possunt: fuit enim peccatum contra virtutem religionis, non vero contra justitiam commutativam. Reddi igitur non debent danti, nisi pretium jam solum restituatur. Non videtur cur adesset obligatio eas reddendi ecclesiæ. Ergo.

3° Re spiritali tradita, variæ occurrere possunt circumstantiæ. Si pretium vi, fraude, dolo, injusta vexatione fuerit extortum, procul dubio danti reddendum est. Extra hunc casum, probabilius est dominium ejus non pertinere ad solventem, qui eo se voluit exuere sub conditione operis turpis jam impleti. Ergo jure naturali transiit ad accipientem, nisi jus positivum aliter statuerit. Porro jus ecclesiasticum pro variis casibus aliter statuit. Sic 1° in materia beneficiorum, quæ simoniace fuerunt accepta, restituenda sunt ecclesiæ in qua situm est, etc., ut supra: si tamen qui pretium dedit mortaliter non peccaverit, non meruit tantam pœnam: pretium igitur ipsi reddendum est. 2° In collatione Ordinum pretium simoniace acceptum, probabilius impendendum est in pia opera, nisi forte solvens fuerit bonæ fidei; quo in casu ipsi reddendum esset. 3° Quæ pro admissione puellæ in monasterio vel pro ejus professione simoniace accepta fuerunt, solventibus reddi

debent, nisi persona remaneat in monasterio; in hoc casu retineri possunt in utilitatem religionis. 4° In cæteris rebus jus ecclesiasticum de restitutione acceptarum non loquitur: probabilius est ergo non faciendam esse restitutionem, et solam virtutem religionis læsam fuisse. Vide *S. Ligorium*, l. 3, n. 113 et seq.

6° Appendix de beneficiis.

1° *Beneficium* communiter definitur a canonistis: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ab Ecclesia constitutum propter spirituale officium.*

Hæc materia olim maximi erat momenti et non parum intricata; at Pius VII, per bullam *Qui Christi Domini*, diei 29 nov. 1801, totum statum præsentem ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium Galliæ una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujusque generis suppressit, annullavit et exstinxit, novas erexit sedes archiepiscopales et episcopales, et amplissimas dedit facultates cardinali Caprara, legato suo *a latere*, etiam subdelegandas, ad constituenda nova capitula, ad concedendum canonicis choralia insignia, quæ eis convenire arbitretur, ad veteres parochias sive supprimendas, sive aliter circumscribendas, etc.

2° Cardinalis Caprara, per indultum diei 9 aprilis 1802, limites novarum sedium determinavit, redditus annuos a gubernio promissos pro archiepiscoporum et episcoporum dotibus assignavit, omnes parochias cum suis titulis et quacumque jurisdictione suppressas perpetuo fore declaravit, facultatem subdelegavit archiepiscopis et episcopis primo futuris capitula in metropolitanis et cathedralibus ecclesiis constituendi, « juxta formam a sacris canonibus » conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia huc usque servatam, cum eo dignitatum et canonicorum numero » quem ad earundem metropolitanarum et cathedralium » ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt, » et similiter novas erigendi parochias, quibus assignandos pro congrua rec-

torum sustentatione redditus a gubernio solvendo loco dotationis declararent.

3^o Hinc antiqua beneficia penitus fuerunt extincta, et redditus annui singulis officiis ecclesiasticis assignati eis fuerunt substituti, ut patet, tum ex bullis *Ecclesia Christi* et *Qui Christi Domini*, tum ex verbis card. Caprara, tum ex decisione S. Pœnitentiariæ diei 19 januarii 1819 a nobis relata in Tractatu *de Restitutione*, ubi de dominio clericorum.

4^o Certum est igitur redditus episcopis, canonicis et parochiis assignatos *naturam* induere *beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum*: sunt verba sacræ Pœnitentiariæ 19 jan. 1819. Unde ex mutuo gubernii et episcopi consensu, novi creati possunt tituli canonicatum et parochiarum; sed titulares resignare non possent cum reservatione annuæ pensionis quantumvis modicæ, absque summi Pontificis dispensatione.

5^o Quoad autem alios parochos, qui vulgo dicuntur *deservientes*, major est difficultas; cum enim ad nutum episcopi anoveri possint, probabile videtur eos in stricto juris canonici rigore non habendos esse velut beneficiarios; et idcirco non est arguendus episcopus qui, ob religionis bonum, temporale aliquod onus imponit novo deservienti, v. g., veterem suum prædecessorem gratius aut pro modica pensione habendi ac curandi, etc. Cum stipendia vulgo dicta *casuel* et *droit curial*, ex decisione S. Pœnitentiariæ 9 junii 1823, reputanda sint bona quasi patrimonialia, non vero ecclesiastica, episcopus potest etiam, sua auctoritate, aliquod onus in hujusmodi bonis fundatum parochio titulari imponere.

Notandum pensiones a gubernio *deservientibus* solutas, reputandas esse, sicut alias, bona ecclesiastica, ac proinde quæ honestæ sustentationi supersunt in bona opera sunt impendenda, et ad hæredes transmitti nequeunt. Vide quæ hac de re dicimus in Tractatu *de Restitutione*.

CAPUT SECUNDUM.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum sic habetur in Exodo, xx, 7: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus cum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Directe ergo prohibentur ea quæ honorem sanctissimi Dei nominis lædunt, et indirecte ea præcipiuntur quæ ex ejusdem sancti nominis honore fluunt. Hic itaque nobis tractandum est 1^o de blasphemia, 2^o de juramento, et 3^o de voto.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BLASPHEMIA.

1^o Blasphemia ortum ducit a verbis græcis, βλάφημα, *noceo*, et φήμη, *fama*, significat nocumentum in fama alicujus. Mos invaluit ut ad exprimenda dicteria Deo injuriosa adhiberetur, et a theologis communiter definitur: *Locutio Deo injuriosa.*

Per locutionem non intelliguntur tantum verba, sed quælibet signa externa, imo et quædam animi verba exterius non prolata, ut, v. g., Ps. xiii, 1: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*, in Deum, sive in se spectatum, sive in Sanctis suis.

2^o Dividitur enim blasphemia 1^o in internam, quæ in corde consummatur, et in externam, quæ verbo, scripto, vel alio signo exterius manifestatur; 2^o in immediatam, quæ Deum afficit directe, et mediatam, quæ directe afficit Sanctos vel res sacras et indirecte Deum, quatenus Sancti et res sacræ habent ordinem ad Deum; 3^o in hæreticalem, imprecativam et dehonestativam. Hæreticalis ea est quæ falsum pronuntiat de Deo, sive ei tribuendo quod ei non convenit, vel negando quod ei convenit, vel attribuendo creaturæ quod solius est Dei, v. g.: *Deus est tyrannus, cru-*